

minas: Contrarij verò dominas esse contrarias actiones.

L I. Genus est muneris functio animæ rationalis, quod commune habet cum felicitate. Contraria enim vel sub eodem genere, vel sub contrariis generibus, vel ipsa esse genera necesse est.

L II. Unde manifestum est. 1. Removeri hinc non tantum corporis, sed & animæ, tum vegetivæ, tum sensitivæ operationes, quæ cum bestiis nobis sunt communes, quæ cum nullus sint felicitatis, ita nec miseriam unquam fieri possunt capaces. 2. Mortuis, quibus muneris functiones non competunt, miseriam attribui non posse.

L III. Differentia specifica sunt cætera definitionis verba; secundum deterrimum & maximè consummatum vitium.

L IV. Si jam addatur ultima particula, in vita perfecta, suppetet jam definitio utriusq; miseriam, quæ tam in Theoretica, quàm in Practica vita locum sibi vendicat.

L V. Infelicitas enim civilis est actio animæ, quæ manat ac proficiscitur ab universali injusticia, & quidem in vita perfecta, ad quam & maturitas judicij perversi, & diturnitas ætatis requiritur.

L VI. At ea quæ in contemplatione cernitur, nihil aliud est, quàm muneris functio mentis, quæ à consummata ignorantia fluit in vita perfecta.

L VII. Intelligitur hinc Ignorantia non quidem ea, quæ κατ' ἀπόφασιν, nec ea tantum, quæ κατὰ διάθεσιν est, quæ scientia in primis opponitur ab Aristotele; sed illa maximè detestabili ignorantia, quæ contemplationi rerum divinarum, & natura præstantissimarum à Sapientia mananti ex diametro repugnat, cujusmodi in hominibus planè nefariis ac impiis cernitur.

L VIII. Hinc Plato 9. de Repub. hanc veritatem confirmans, rectè dixit: Hominem illum debere censeri miserimum, qui maximè est iniquus.

Sicut